



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. primum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

IN TIT. II. DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

Agitur hoc Titulo de ætate eorum, qui sponsalia vel matrimonium contrahere possunt. In quo explicando eo breviores erimus, quòd pleraque huc pertinentia superiore Titulo exposita sunt.

In Cap. primum.

SUMMARIÆ.

1. Impuberes ex matrimonio à patre contracto quatenus obligentur.
2. An ex debito honestatis, non necessitatis?
3. Filia sine consensu patris contrahens an rectè exheredetur?
4. An pater teneatur dotare eamdem filiam?
5. Duobus conjunctim requisitis non sufficit alterum impleri.
6. Quid si filia indigno marito nupsit?

Hoc Cap. iisdem penè verbis extat in *can. 2 xxxii. quest. 2.* unde videtur huc translatum. Sententia verò ejus hæc est, quòd pater pro filio pubere matrimonium contrahens, nihil agat, nisi filius consentiat. Pro impubere eatenus valet matrimonium, ut hic pubes factus ratum habere debeat matrimonium. Prioris membri ratio hæc est, quòd in matrimonio contrahendo consensus eorum exigatur, de quorum conjunctione agitur, *c. 23 c. 25. Et 26 sup. tit. prox. l. 2. D. De ritu nupt. Et l. Nec filium 12. C. De nupt. Posterioris verò ratio est, quòd pater contrahendo pro filio impubere, cujus voluntas decerni non potest, & sic nondum intelligit, quid agat, *cap. Tua 25 in fine sup. tit. prox.* censetur ipsi idoneam uxorem delegisse: ut proinde filius pubes factus matrimonium ratum habere debeat.*

Sed huic videtur ob stare textus in *cap. unico §. porro De sponsal. impub. lib. 6.* ubi ex sponsalibus contractis à parentibus, filii tam impuberes quàm puberes non aliter obligantur, quàm si & ipsi consenserint expressè vel tacitè. At hoc textu nostro dicitur obligari impuberes ex matrimonio à patre, suo nomine contracto, ita quòd is ad pubertatem veniens debeat matrimonium adimplere. Neque enim ulla ratio diversitatis dari potest, cur textus in *d. §. porro*, de sponsalibus loquens, non idem in matrimonio obtineat.

Sed responderet Bernard. quem & sequitur Panorm. & Glossa hic, quòd verbum *debet*, in fine textus nostri positum, exaudiendum sit de debito honestatis, non necessitatis, hoc est, quòd honestas quidem postulet, ne filius à patre dissentiat, non autem necessitate obstringatur filius ad probandum matrimonium à patre contractum. Idque suadet subiecta materia, quæ est de matrimonio, quod voluntati, non necessitati subijcitur, *cap. Cum locum 14. Et ibi latius explicavimus sup. tit. prox. Et text. in d. l. Nec filium* Vel rectius dici potest, filio quidem impuberi hanc necessitatem injici, ut pubes factus teneatur patris factum approbare; sed ita tamen, nisi justam causam habeat reluctandi, ut quia uxorem sibi datam averfatur: solent enim invitæ nuptiæ difficiles habere exitus, *cap. Ex lateris Sydvani 10. juncto cap. Requisitum 17. sup. De sponsal.* Quæ solutio videtur magis convenire textui nostro: alioqui non perspicio, cur textus noster differentiam constituat inter puberem & impuberem, cum & in pubere honestum censetur, ne reclamet voluntati patris matrimonium pro se contrahentis, cui alias de jure gentium parere tenetur, *l. 1. in fine cum l. seq. D. De just. Et juris.* Quapropter Præpositus hic priorem Bernardi & Panormit. sententiam non sine causa improbat.

Quærunr hinc Dd. An si filia sine consensu patris matrimonium contrahat, possit eam pater exheredare? Et valere hujusmodi matrimonium liberorum invitæ parentibus contractum, probat textus in *c. penult. inf. De rupt. in cap. Per tuas 6. inf. De condition. appos. in cap. Veniens 13. sup. De sponsalib. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 1. in princ. in decreto de reformation. matrim. Et Carolus V. in declaratione facta in Comitibus Augustanis Anno 1548. sub tit. De Sacramento matrimonii, circa finem. Sed an ea de causa filium vel etiam filiam exheredare possit pater quaestio est: Quod existit, mat. Godofredus, teste Paorm. hic per text. in *§. aliud quoque capitulum vers. si alius Novel. Vi cum**

Vi cum de appellat. cognosc. Verum hujus sententia communi caleulo reprobatur, teste Panorm. hic, num. 5, nisi filia turpem virum elegerit, aut turpiter erat vidua, si non contraxisset matrimonium. Sic enim legendum puto, non, vitam, ut habent Hostiensis & Panorm. hic. Sed nec hæc restrictio defendi potest, cum inter causas exheredationis non numeretur à Justiniano, in d. Nov. Vi cum de appell. §. aliud quoque capitulum. Etenim Justinianus loquitur tunc exheredari filiam posse, quando hæc volentibus parentibus eam matrimonio collocare & dotare, non assentitur, sed mavult luxuriosè vivere: hanc enim dignam exheredatione censet, non quæ absque consensu parentum nupta est, de qua est nostra disputatio. Unde certius est, filiam ea de causa exheredari non posse à parentibus. Vide qua tradit Covarr. in 4. Decretal. parte 2, cap. 3, §. 8. num. 5.

4 Altera quaestio est de dote. An scilicet pater teneatur dotare filiam suam, quæ absque eius consensu nupsit? De qua major inter Dd. contentio est, sicut videre est apud Covarr. d. p. 2. c. 3, §. 8, num. 5, & And. Gail. lib. 2, obser. 95, sed breviter rem complectendo, puto patrem compelli posse ad dotandam eamdem filiam: siquidem ex juris præscripto ad id teneretur, per text. in l. fin. C. De dotis promiss. & in l. Qui liberos 19, D. De ritu nupt. Idque verius & receptius esse apud Dd. tradit And. Gail. d. obser. 95, num. 10.

5 Nec movet, quod absque consensu ejus nupsit, quia id fecit jure permittente, sicut proxima quaestione comprobavimus. At verò quod legitime sit, pœnam non meretur, l. Gracchus 4, C. Ad l. l. de adult. nec dolo facit, qui jure suo utitur, l. Nullus videtur D. De R. I. Deinde non debet auferri filiae libertas matrimonii contrahendi propter metum amittendæ dotis, quæ sibi auctoritate juris debetur, per text. in l. Titio centum 70, §. 1, D. De condit. & demonstr. & per ea, qua dixi ad c. Gemina sup. tit. prox.

Nec etiam movet, quod idem mulieri detur dos, us facilius maritum inveniat, l. 1, & l. 2, D. De jure dot. atque hinc reperto marito, filia non amplius indigeat dote, cap. Cum cessante 00, in pr. sup. De appellat. Nam respondetur, patrem ad duo obligari, ad elocandam scilicet filiam suam matrimonio, & ad eandem dotandam, d. l. Qui liberos, & d. l. fin. Licet igitur primum impletum sit factio ipsius filiae, nihilominus alterum implendum restat, ut scilicet à patre dotetur, quod & post matrimonium contractum fieri potest, ad sustinen-

da onera matrimonii, §. est & aliud Instit. De donat. & l. penult. C. De donat. ante nupt. l. Pro onerib. C. De jure dot. † Ubi enim duo conjunctim requiruntur, non sufficit alterum impleri, l. Si heredi 5, D. De cond. institut. & §. si plures Instit. De hered. instit. Gail. d. Obser. 95, num. 5, Covarr. d. §. 8, num. 7, ubi & hanc communiter receptam tradit ex Curtio juniore, Ripa, & Paribo.

Quod tamen non aliter procedere contendunt, 6 quam si filia digno marito nupsit, non verò si indigno. Idque ob injuriam hoc casu patri illatam, propter ignominiosas nuptias, l. 3, §. si nuptias D. De bonorum poss. contra tabul. In quo tamen subsistit. Etenim video secundum Canones promiscue cum quolibet permitti matrimonium, dummodò à jure non sit prohibitus, c. Cum apud sedem 2, sup. tit. prox. etiam cum infamibus personis, c. Inter opera 0, sup. jam d. tit. & cap. fin. inf. D. raptor. Non igitur ob hoc privati dote sua debet filia, quæ jure suo utitur. Unde magis puto, distinguendum non esse, digno an indigno nupsit filia. Hoc tamen temperamento adiecto, ut, si indigno nupsit, minor ipsi dos, quam si digno nupsisset, assignetur à patre, cum dos pro qualitate patris & mariti constituenda sit, l. Quarto 61, & l. Cum post 70, §. gener. D. De jure dot. Idem sentit Joan. ab Imola in r. Accedens num. 9 sup. De procurator.

Cæterum Carolus V. in constitutione sive declaratione sua sup. citata in fine videtur hanc rem reliquisse arbitrio judicis ordinarii; cuius verba Latine à me reddita hic liber subiicere: Utrum autem parentes, inquit, casu quo liberi absque consilio & consensu eorum matrimonium contrahunt, eos per retentionem hæreditatis, vel ut minimum per diminutionem dotis, & aliis modis punire possint, ordinarii judicis erit hac in re, quantum conveniet, statuere.

Itaque non potest pater exheredare filiam suam, vel dorem ei planè subtrahere, si nuptias absque eius consensu contraxerit, sed iudex id arbitrabitur, prout judicabit convenire: inspecta scilicet indignitate mariti, contumacia filiae, sive etiam ipsius patris, qui forte æquè indigno eam matrimonio collocare volebat, vel nimium protrahebat filiae matrimonium. Hæc enim & si qua alia eiusdem generis sunt, considerabit iudex, non tantum in filia, sed & in filio nuptias contrahente.

Statuto verò Bavarico expressè cautum est, si filius ante tricesimum ætatis suæ annum, & filia

ante viceſimum quintum annum ætatis ſuæ matrimonium contraxerit, abſque voluntate & conſenſu parentum ſuorum, quod non teneantur parentes, donec vixerint, conſtituere iſtis dotem, vel donationem propter nuptias. His verò mor-

tuis ſuccedunt tales unâ cum aliis liberis in hæreditatem eorum: neque ob id ex hæredari poſſunt, quod ſuâ ſponte contraxerint. Extat hoc ſtatutum in reformatione ſtatutorum, ſub. tit. de hæreditatib. art. 4.

In Cap. Vbi non eſt 2. & Cap. Puberes 3.

S U M M A R I A.

1. Pubertas à quo ætatis anno incipiat.
2. Ætas matrimonii an à jure prorogari poſſit?

IN matrimonio contrahendo de jure Civili requiritur pubertas, quæ evenit in mâſculo decimo quarto ætatis anno completo, in fæminâ duodecimo, ſit *Inſt. Quib. mod. tut. fin. in pr. l. fin. C. Quando tutores vel curat. eſſe deſ.* Idem eſt de jure Canonico, per hunc text. noſtr. in *c. Conturbantur 6, & in cap. Attoſtationes 10. h. tit.* niſi quod id diſcriminis ſit, quod Jus Canonicum ex annorum numero pubertatem non metiatur, ſed ex corporis habitu: ut iſ ſcil. puberſcatur, qui generare poteſt, etiam ſi prædictum annorum numerum nõ impleverit, vel non attigerit, text. hic in *c. 3, & in c. fin. inf. De eo qui cognovit conſang.* Refert ex Gregorio Gloſſa Juris Canonici in *ſumma xx. qu. 1,* puerum quemdam novem annorum nutricem ſuam imprægnâſſe. Tradit & Henricus Bohic, hic *ad c. 3,* ſe vidiff. Pariſiis coram Officiali civem quemdam Pariſienſem conquerentem de famulo ſuo, quod filia octo annorum virginitatem eripuiſſet. Quare in his, qui ætatem à jure Civili præſcriptam corporis habitu anteverunt, ſolet dici, quod malicia ſive prudentia ſuppleat ætatem, ſcilicet juris civilis, ſicut & in delictis dolo admiffis à minore dicimus malitiam ætatem ſupplere, *l. 3. C. Si minor ſe majorem dix.* ideoque non excuſatur, ſed punitur tamquam major factus, *c. 1. inf. De delictis pueror. §. in ſumma Inſtit. De obl. qua ex delictis naſc. & l. Si ex cauſa 9, §. nunc videndum D. De minorib.* niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit, ut loquitur text. in *l. Auxilium 36. §. in delictis D. De minorib. de quo latius Ant. Gomezius Var. reſol. tomo 3, c. 1, num. 6, cum num. ſeq.*

² Hinc diſputationis eſt, An ſicut ætas matrimonii à jure Civili conſtituta præveniri poteſt,

ut jam dictum eſt, ita quoque poſſit prorogari; puta ſi Titius poſt decimum quartum annum completum nondum idoneus factus ſit ad carnalem copulam, & hic nihilominus matrimonium contraxerit, an hoc matrimonium ſubſiſtat? Negat Gloſſa hic *ad c. 3. per eundem text.* Inquit enim apertè textus, puberem eum eſſe, qui ex habitu pubertatem oſtendit, & generare jam poteſt. Gloſſam videntur ſequi hic Præpoſ. & Panormit. ſi rigor juris inſpiciatur Communiter tamen Dd. ab hac Gloſſæ ſententia diſcedunt, contrarium aſſerentem, quod ſcil. valeat hoc matrimonium, ſicut teſtatur idem Panormit. hic. Ex quo enim quis legitimam ætatem à jure conſtitutam habet, nec apparet impedimentum perpetuum, reſte contrahit matrimonium, *probat text. hic in c. 1. in V legibus, & facit text. in c. Laudabilem 3, inf. De frigidis & maleſ.* Aliâſ ſequeretur, quod neque infirmi matrimonium inire poſſint, ſi propter morbum impotentes ſint ad copulam. Quod certè abſurdum eſſet, ex ſententia quoque eiufdem Panorm. hic, qui & ob id hanc opinionem contrariam putat eſſe æquiorẽ; quam & amplectendam cenſet, cum magis faveat matrimonio, *ſi ſup. De ſentent. & re jud.* adhibita tamen forma *d. c. Laudabilem,* ſicut ibi latiùs dicitur.

Cæterum quod hic textus noſter *inc. 2,* ſubjungit, propter urgentiſſimam neceſſitatem, utpote pro bono pacis, nonnullos coniungi, qui nondum juſtæ ætatis ſunt ad contrahendum matrimonium, referri non poteſt ad veram matrimonii conjunctionem, propter defectum conſenſus matrimonialis, qui nondum eſt in impuberibus, *c. Tua 25, ſup. tit. prox. & c. A nobis 8, hoc noſtro tit. & ſine quo matrimonium conſtare non poteſt, c. Tua nos 26, circa fin. ſup. tit. prox.* ſed referendum eſt ad conjunctionem matrimonialem, quæ de facto ſit. Nec enim ſine cauſa textus noſter uritur verbo, *toleretur,* quaſi per diſſimulationem quamdam.